



Universitätsbibliothek Paderborn

Gvilielmi Becani E Societate Iesv Idyllia Et Elegiae

Becanus, Gulielmus

Antverpiae, 1655

Elegia X. Et non inuenientes, regreſi sunt in Ierusalem, requirentes eum:
& factum est post triduum, inuenerunt illum in templo, sedentem in medio
Doctorum. Lucae 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12773

ELEGIA X.

Et non inuenientes, regresi sunt in Ierusalem, requirentes eum: & factum est post triduum, inuenierunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum. Lucæ 2.

E Heu! quām tardæ labuntur amantibus horæ,
 Nec solito tempus creditur ire pede!
 Noctis erat medium; transactam Virgo putavit,
 Et questa est nondum Solis adesse iubar.
 Sol aderat, stellasque dies abscondere cælo
 Cœperat: hesternum rursus initur iter.
 Si quis adhuc dubiâ sub prima crepuscula luce
 Eminus occurrit, Fallor, an, inquit, adest?
 Scrutatur quæ fixa solum vestigia seruet,
 Et pressam noto pondere quærit humum.
 Nunc hanc nunc oculos partem deflectit ad illam,
 Si qua est in varias secta platea vias.
 Vnaque, seu pastor, siue est conspectus arator,
 Vox est, Ecquis iit ista per arua puer?
 Ut Solymam ventum est, vicos & compita lustrat,
 Quoque ferat, dubitat, quò referatque pedem.
 Ipso quo properat studio tardatur, & omnem
 Conspergit lacrymis mœsta, notatque locum.
 Hic, ait, in reditu fuimus: transiuiimus illac:
 O coniux, nobis hic fuit vsque comes.
 Hic, ô me miseram! (sed cur quid tale timerem?)
 Implicitus dextræ desit ire meæ.
 Altera sollicitæ, iamque altera nascitur Eos,
 Incertas quòd non cesseret obire vias.

E

Res

66 G V I L I E L M I B E C A N I

Res noua, confertâ populis sic vrbe vagari.

Quid faciat ? cedit victus amore pudor.

Progreditur: nunc hos, nunc flens interrogat illos:

Describit, quales præferat ore notas.

Tali, inquit, facie est, qualé (nisi quod modò nostram
Deformat luctus) cernitis esse mihi.

Aker in alterius dignosci possumus ore :

Squalor abest illi; cetera matris habet.

Quæ mihi continuo turgent modò lumina fletu ,
Illi sidereo pulchriùs igne micant.

Funduntur flaui per lactea colla capilli :

Multa affusa labris gratia, multa genis.

Quale ebur asperso dilutum murice, qualis
Si rosa lacete natet , talis in ore color.

Quò caput obuertit , nitet illic purior aér :

Quos videt, his castus leniter afflat amor.

Cultus adest simplex, amethystina vestis ad imos,
Nostrâ texta manu, defluit vsque pedes.

Ista patent cunctis ; nos plura videmus in illo :

Plus aliquid formâ, quo capiamur, habet.

At modò nos puerō lux tertia conspicit orbos.

Ah ! vt conficerer, plus satis vna fuit.

Vos ego per matris (vocem suspirat ad illam,
Appositaque premit pectora mota manu)

Vos ego per matris nomen, Solymitides, oro,
Dicite si vobis visus in vrbe fuit ?

Illum ego vel mediâ Galilæi Regis in aulâ
Non timeam sœuos inter adire duces.

Ad Romana meos prætoria si quis amores
Vidit, Romanis inferar agminibus.

Nil agit infelix, frustrâ queriturque, rogatque:
Augetur dolor hinc, vnde requirit opem.

Conuersus

Conuersura preces aliò , questuraque cælo,
Ad templum , miseros quo Deus audit, adit.
O rerum facies ! hîc en, hîc illa cupitos
Ah nimiùm vultus, oraque cara videt.
Hîc sedet in mediâ populi que senumque coronâ ,
Datque sui specimen non puerile puer.
Iam, veluti dubitans, interrogat ille peritos :
Responsis turbam iam tenet ipse suis.
Seu sua depromat, seu Vatum oracula pandat,
Pendere à pueri non pudet ore senes.
Vnde, rogant, istis sapientia talis in annis ?
Atque aliquis, Felix quæ tibi mater, ait.
Felix quæ talem gestauit ad vbera natum !
Viuat, sitque diu pignore læta suo.
Dixerat. Ille palam matrem confessus honore ,
Complexum turbâ conspiciente petit:
Solaturque ægram , luctumque in gaudia vertit ,
Utque ita quæsum se iuuet esse, facit.



